

550

Tbr.

DISPUTATIO INAUGURALIS MEDICA,

Exhibens

CASUM LABORANTIS PERIPNEUMONIA,

QUAM

DIVINA ASSISTENTE GRATIA,

Consensu, Decreto, & Autoritate

Nobiliss. & Gratiosiss.

FACULTATIS MEDICÆ,

IN

ILLUSTRI

LUDOVICIANA ACADEMIA,

Pro summis honoribus, atque privilegiis Doctoralibus ritè impetrandis,

Publico ac solenni

MAGNIFICI atque AMPLISSIMI

SENATUS ACADEMICI

Examini subjicit

JOHANN-WILHELMUS REYSER,

Marpurgô-Hassus.

Ad diem Octobr. horis locoq; consuetis.

GISSÆ HASSORUM,

Typis FRIDERICI KARGERI, Acad. Typogr. Ord. CIƆ IƆC LXXV.

3+

1675



PROOEMIUM.

Sanguinem caloris nativi fomitem, vitæq; thesaurum esse, tot animæ functiones, quas variâ, & admiranda prorsus ratione in sanguine elucescere videmus, luculenter ostendunt. En! sanguis est, qui per iram fervet; per timorem fugit; per mæstitiam pigrescit; per gaudium effunditur; per pudorem in faciem occurrit! Et ob hanc ipsam sanguinis præstantiam Cicer. l. 4. ad Attic. *vigorem & vim Civitatis succum & sanguinem vocat, dum* Amisimus omnem succum & sanguinem Civitatis *scribit. Verùm ut optimi corruptio esse pessima solet, sic sanguis, ubi à bonitate sua degenerat vel loco naturali egreditur, turbas multum negotii facessentes movet. Testari id possunt, inter alia vitæ humanæ incommoda, viscerum inflammationes, quæ ex levi sæpè principio ingens subitò excitant periculum, dum vitalis calor in consumentem æstum degenerat. Nullum ab hoc malo immune est viscus, ipsumq; adeò naturæ ventilabrum, & dicatus Respirationi follis haud rarò inflammatur. Hunc pulmonis affectum, cùm de inauguralis Disputationis argumento cogitarem, præ aliis ad elaborandum eligere placuit, &, quandoquidem per exempla compendiosior ad praxin, quam per præcepta, via est, quæ in rem scopumque præsentem facere possunt,* Ægro Peripneumonico *applicare, & singula doctiorum examini subjicere, animum induxi; Faxit DEUS, ut feliciter!*

Historia.

Juvenis annorum 23. temperamenti calidi & humidi, habitu corporis mediocriter carnoso præditus, ple-

rumq; victu satis lauto usus, æstivo tempore, cum exercitio corporis paulò validiore incaluisset, domumq; redux esset factus, mox gravativum pectoris dolorem atque angustiam sensit, adeò, ut in lectû se conferre cogeretur, quô facto, statim febricitare cœpit, idq; satis acutè, tussi molestâ non minus ac frequenti, eâque primùm quidem siccâ, paulò post tamen cum subsequente materiæ sanguinolentæ excretione, quam unà comitabatur respiratio tam difficilis, ut non nisi erectâ cervice anhelare valeret; Cæterum facies ac præsertim gena dextra admodum rubent, venæque & arteriæ multùm repletæ apparent. Pulsus est magnus quidem, sed languidus, & quasi undosus; Sitis intensa, & urina rubicunda, alvusque per biduum obstructa. Petit consilium.

RESOLUTIO.

AFFECTUS, quô cùm *Ægrotans* Noster conflictatur, ex eorum est numero, quos *Galenus l.2. M.M.c.2.* à parte læsâ denominationem accepisse statuit, hincque *Græcis περιπνευμονία*, vel *πνευμονία*, *Latinis* verò communiter eodem nomine, tùm etiam *pulmonia*, ac *pulmonis dolor à Celsô l.4.c 7.* appellatur, quamvis non tàm dolor, quam inflammatio formalem hujus mali rationem absolvat. Est n. *Peripneumonia inflammatio*, seu tumor pulmonum calidus, cum febri acutâ, spirandi difficultate, & tussi, ab influxu humorum in spaciis inanibus putrescentium ortum ducens. Laborare a. Ægrum hoc affectu, colligo

I. Ex *essentialiter inhærentibus*, signisque *παθογνωμονικοῖς* in definitione modò recensitis, quæ etiam præsenti in *historiâ* memorantur, suntq; 1. febris acuta, 2. tussis frequens, molesta atq; vehementior, & 3. Respiratio tàm difficilis, ut, nisi erectâ cervice, anhelarè Æger non valeat.

II. *Ex essentialiter consequentibus*, suntq; in actionib. *vitalibus* pulsus magnus, sed languidus, & quasi undosus; In *naturalibus* sitis intensa; In *animalibus* dolor pectoris gravativus; In *qualitatibus*

tatibus mutatis, genæ admodum rubentes; In *Excretis* & *Retentis* Urina rubicunda, & Alvus per biduum obstructa.

III. Confirmant idem *causæ prægressæ*, quippe ad malum hoc producendum plurimùm aptæ, quas inter eminet Temperamentum sanguineum, corporis habitus carnosus, victusque lautior &c.

IV. Neque, quæ à *similitudine* desumi consuevit ratio, vel illustratio, deest; Siquidem ita affectos ægros à Medicis plerisque pro *Peripneumonicis* habitos fuisse, horum monumenta & observationes ὁμοθυμαδὸν pronunciant.

Subjectum primarium statuimus Pulmonem, mirabile illud Naturæ flabellum, quod modò secundùm dextrum, modò secundùm sinistrum lobum affectum agnoscimus, cùm, judicio gravissimorum autorum ac infinitorum cadaverum inspectione attestante, non necesse sit, totus ut pulmo semper inflammetur. Vide *Sennert. l.2. prax. part. 2. c.3. p.150.* Schenck. *l.2. obs. medic: de peripneum. obs. 3. p.249.*

Secundarii verò *subjecti* vicem subire unà quandoque & posse & solere putamus pleuram, mediastinum, ipsumque adeò cor, & reliquas thoracis partes, quippe quas, ob viciniam, quâ conjunguntur, proximum inflammationis effectum evitare vix ac ne vix quidem posse, luce meridianâ clarius est. Quin imò etiam nec ipsum caput liberum relinqui, sed â putridis istis exhalationibus, cum sanguine communicatis, in consensum rapi, ex oculorum & genarum rubedine ad oculum patet.

Afficitur autem pars principalis, pulmo inquam, vel ἰδιοπαθικῶς, & per *essentiam*, vel δευτεροπαθικῶς, per *consensum* laborat. Illud quidem fit, dum in ipsomet mali causa generatur, adeoque permanens quædam adest dispositio, quæ ab alia nullâ dependet. Hoc autem accidit, quoties non tam in ipso pulmone inflammatio latitat, quàm potius ab aliis modò recensitis partibus coinquinatur.

In nostro *Ægro* prius locum habere, pulmonemque secundùm dextrum lobum inflammatum esse, circumstantiæ in historia enumeratæ haut parùm evincere videntur.

Causa immediata in genere dici potest ipsum ῥεῦμα, seu

 humo-

humorum in pulmones affluxus, quatenus horum substantiæ infixus hæret, sicque inflammationem producit.

Causa mediata, eaque *proximior*, sunt humores calidi. Equidem sub judice lis esse adhuc videtur, num à solo sanguine hic affectus proveniat, an verò etiam à bile, vel pituita, &c. excitari queat? Verùm cùm ipsamet experientia à partibus *Galeni*, *6 aphor*.33. ab omni humore peripneumoniam fieri posse, docentis, stare deprehendatur; nos etiam quandoque à sanguine solo, modò à pituitoso, modò bilioso pulmones inflammari, ac in præsenti quidem Casu sanguinem utramque ferè paginam implere, audacter asserere nulli dubitamus.

Modus, quô in pulmonibus humor peccans colligitur, duplex potissimùm occurrit, *συναθροισμὸς* scil. & *ῥευματισμὸς*, *congestio* & *fluxio*: *hanc* a. præ *illâ*, accusandam hîc putamus.

De *Viis* rogati, respondemus, deferri sanguinem istum, sive purior sit, sive minùs talis, per venam cavam, retrogrado circulari motu, in dextrum ventriculum, exinde per arteriam venosam in latum pulmonum æquor se effundere, inania spacia pervagatum incalescere & putrescere, verbis celeberr. *Rolfinc. Epitom. Cognosc.&c.lib.1.part.2.c.4.p.*134. Conf. quoque *Kerckring.obs. Anat.*97.*p.*190.

Quod porrò ad Causas, ut vocantur, *Remotiores* attinet, occurrit statim inter *Naturales Temperamentum* Ægri *calidum & humidum*, quod sicuti ad generandam sanguinis copiam apprimè facit, ita consequenter venas arteriasque turgidas reddit, &, ut facili de causâ sanguinem evomant, disponit: Idque *habitus corporis εὔσαρκος*, *& juvenilis ætas*, quorum utrumq; in Ægro nostro concurrere observamus, haut parum confirmat. Quamvis n. in consistente, & ad senilem vergente ætate constitutis, inter alios id generis affectus, Peripneumoniam quoque insidias præ reliquis struere, autor est *Hippocr.l.3.aphorism.*30. nihilominus tamen tantum abest, ut juvenilem ætatem hîc excipiamus, ut potiùs, (cùm juvenes haut rarò genio indulgeant, temulentoque litare Baccho soleant) hanc quoque tàm atroci malo maximè obnoxiam esse, censeamus; quod quidem pronunciatum, præter Celeberr. *Horst. l.3. de morb. pector. obs.*8. *p.*129.

Noster

553

Noster etiam Æger suo ipsius exemplo edocet. Accedunt insuper inter causas *Non-naturales Aër calidior*, qualem *æstivo* præsertim tempore experimur; quantum a. hæc aëris constitutio ad corpus nostrum variè afficiendum valeat, non est, ut prolixè ostendamus: Neque obstat, quod hieme præsertim pleuritides, pulmonum inflammationes, &c. oriri dicat *Hippocr.3. aphor.23.* nam eodem teste 3.*aphor*.19. quilibet morbi in quibuslibet temporibus fieri queunt, & hinc etiam, quod calor in hieme per antiperistasin in partibus corporis internis adauctus (ubi humores in æstate collectos invenit) præstare valet, id sanè non minus evenire potest eô tempore, quô calidior aër tùm inspiratus, tùm corpus ambiens, humores & præcipuè sanguinem fundit, spiritus subitò dissipat, & morborum plerumque acutorum autor esse consuevit.

Hisce porrò *Victus lautioris usus*, tantò validius in Juvene nostro symbolum conferre potuit, quantò vegetior esse calor, & flamma vitalis hâc in ætate solent, ubi nec dum edaces curæ partes corporis nutriendas genio suo defraudant, sed potius omnia rident, & in totius augmentum atque emolumentum conspirant ac coacervantur.

Neque omittendum hîc, cujus quoque in historia fit mentio, *validius corporis exercitium*, quippe cujus superveniente excessu humores plurimùm agitantur, funduntur, tandemque etiam accenduntur.

Quibus ita constitutis, mirum non est, huncce obortum *affectum*, & varia subsequuta esse *symptomata*, quæ cùm ante *signorum* vicem subierint, dilucidiorem nunc explicationem ex *ἀιτιολογίᾳ* desiderant.

1. Adest *dolor pectoris gravativus*, non pungitivus, quòd materia peccans in membro per se insensili hæreat, nec nisi membranâ mediante percipiatur; concurrente quidem thoracis angustiâ, ob bronchiorum compressionem. Et hic doloris character præsentem affectum à *pleuritide* satis manifestè discernit.

2. *Febris* urget *continua*, & *acuta*, tum propter affectum ipsum, qui est, uti dictum, inflammatio, tùm propter situm, siquidem

dem cor ob vicinitatem & communionem vasorum plurimùm & continuò affligitur. Hinc non tàm primariam, quàm symptomaticam hanc esse febrim constat, quippe quæ ab dictâ inflammatione ortum præcipuè traxit; imò & *Comitata* dici potest, cùm & febris & inflammatio simul ingruisse videantur.

3. *Tussis* primùm quidem *sicca* molestiam creavit, paulò post autem *materiæ sanguinolentæ rejectio* subsecuta fuit, quòd sub initium cruda omnia esse soleant, deinde verò factâ aliquâ materiæ coctione, humiditas jungatur, faciliorque excretio succedat.

4. *Respiratio tàm difficilis* adest, ut, *nisi erectâ cervice*, aërem ducere vix valeat Æger; idque ob pulmonem tùm inflammatum, tùm sanguine in ejus substantiam ita effuso repletum, ut aërem pro necessitate urgente recipere haud queat, nisi erectô corpore aliquam situs commoditatem obtinuerit.

5. *Pulsus* deprehenditur quidem *magnus*, ob cordis viciniam, febrisque vehementiam, nimio impetu arterias pervadentem; *languidus* tamen simul est, & veluti *undosus*, quòd in membro molli sit, viresque ob contractam ab insigni intemperie impotentiam haut sufficiant.

6. *Genæ*, præsertim *dextra*, valdè *rubent*, propter exhalationes fervidas, & vapores ad caput elevatos, sanguinemque faciei vasa turgescentiâ suâ distendentem secum rapientes.

7. *Urina rubicunda* excernitur, index intemperiei, & fervoris febrilis, qui, cùm siccitatem comitem habere soleat, simul etiam

8. *Faces indurat*, ut facilè alvus exinde per aliquot dies obstrui adstringique potuerit.

Hisce ita suis ex causis, pro ratione instituti nostri, breviter deductis, monemur jam, ut, quid sperandum *Ægro* restet, subjungamus. Quod priusquam pronunciamus, non possumus non præmittere, quod *Celsus lib. 7. cap. 4.* inculcat, *affectum hunc plus* periculi, *quam* doloris *habere*; &, si *Hippocratem* consulamus, commune ferè hîc *prognosticum* esse, paucos ita laborantes evadere: est n. malum vehemens & acutum, quod die 7, aut 14. aut ad summum 20. judicatur, teste *eod. Coo l. 2. & 3. de morb.* Acuto-rum

rum autem morborum incertas esse prædictiones, docemur ex *s. 2. aphor. 19.*

Interim cùm *Æger* noster in vigore ætatis constitutus, viresque nondum planè resolutæ sint, tumque etiam natura ad expectorationem sese accingat, proinde prognosin, quæ circa *salutem* aut *mortem* denunciandam occupatur, ita temperabimus, ut ipsi non omnem planè evadendi spem abscindamus. Et illa ipsa, quam modò diximus, sub initium sese ostendens sanguinolenta excretio, quæ maturationis futuræ rudimenta exhibet, *brevitatis* ac *longitudinis* hujus morbi rationem, *eventusq́; modum* quodammodo determinat, juxta effatum *aphor. 12. sect. 1.*

Salutis itaque spe quadam conceptâ ad *Curationem* perficiendam eò magis properandum ducimus, quò minus moram hocce periculum admittit. Est n. in acutis morbis, si uspiam, occasio valdè præceps, requiriturque adeò, ut maturè, æquè ac methodicè Naturæ succurratur. Offerunt autem se in præsenti medendi methodo eæ potissimùm *indicationes*, quæ in omni inflammatione, tùm quoad causæ remedium, tùm quoad virium conservationem necessariæ sunt. Danda igitur opera erit, ut materia affluens, fovensque avertatur, fervor febrilis temperetur, & natura, ceu dictum, dum per tussim materiæ expulsionem molitur, virium conservatione simul omnibus modis procuratâ, continuò adjuvetur.

Materia præsidiorum, quæ hisce satisfaciunt indicationibus, variæ sunt.

Ex CHIRURGICO FONTE præstò est generosum, ac omni inflammationi conveniens *venæsectionis* remedium; quippe quâ sanguis affluens illicò revellitur, & evacuatur. Coindicant eandem Ægri constitutio, victus antecedens, vires, idq́; generis alia. Secetur ergò mediana dextri brachii, & sanguis ad ℥iiij. l. ℥v. emittatur.

Vicarias quoque V. S. *cucurbitulas*, brachiis affixas, imò & costis appositas non improbamus, cùm hisce peripneumoniam sanatam testetur *Nic. Fontan. exempl. 17. p. 52.* Interea tamen expediet venæsectionis prius successum ut circumspectè expectemus, quàm Naturam nimis officiosè turbemus.

Idem

Idem etiam de Frictionibus, ac ligaturis observandum censemus, ut singula non nisi καιρῶς peragantur.

Ex FONTE PHARMACEUTICO sese nobis sistunt *Alvum leniter subducentia*, ubi præsertim *Clysterum* usum commendamus. Cumque alvus per biduum obstructa fuerit in Ægro nostro, conveniet ipsi venæsectioni, in principio aliàs statim administrandæ, emollientem, & respectu febrilis caloris, quadantenus refrigerantem Clysterem præmittere; qui poterit esse talis:

℞. rad. alth. malv. lil. albor. ana ℥ß.
herb. malv. bismalv. chamomill. cum floribus ana Mj.
endiv. lactuc. ana Mß.
Flor. malv. violar.
Summit. aneth. ana pj.
Sem. 4. frig. major. ana ʒß.
lin. fœnugræc. ana ʒj.
Prunor. dulc. exoss. N. 7.
Coq. in s. q. aqu. simplic. ad ℥x.
in Colatura dissolv.
Electuar. de Tamarind. cum fol. Sen. ℥vj. l. ℥j.
Ol. chamomill. viol. ana ℥ß.
Vitell. ov. Nj. ⊖. parùm.
M. F. Clyster.

Convenient quoque Clysteres moderatè revellentes, præcipuè primis diebus applicati, quo materiæ impetus à pectore avertatur, & humores vitiosi, si fortè turgeant, ac in corpore unà abundare observentur, maturè evacuentur. Cavendum tamen, ne fortiorib. medicamentis humores agitentur, febris accendatur, viresque dejiciantur. Et cùm hujus affectûs curatio, teste *Avicenna*, à pleuritidis curatione in paucis differat, in qua à *purgantibus* abstinendum esse, statuit, & doctis rationibus evincere conatur *Linden. Select. med. XII.* §. 183. *p.* 482. temerarium meritò arbitramur, intempestivis purgantibus turbas movere, naturæ conatum præpedire, alvifluxum, hoc in morbo præprimis pericu-

losum,

losum, concitare, & augendo febrilem æstum vires prosternere. *Intempestivis* dico *purgantibus*: nam quod mitioribus quandoque uti non solùm liceat, sed etiam conveniat, ac necesse sit, experientia, & observ. med. confirmant. Vid. *Horst. d. l.*

Et quidem nostrum quod concernit *Ægrotum*, cùm à sanguine potissimùm abundante malum hoc foveatur æque ac ortum traxerit, non est difficile, videre, quousque modò recensitis locus relinquatur. Sufficiet sanè ea elegisse, quæ aliàs pectori amica deprehenduntur, uti sunt *Sirup. ros.* vel *viol. solut. Diaprun. simplex. Manna*, aliaque id generis mitiora.

Solutâ igitur per clysterem supra memoratum vel similem alvo, sicque lenitis primis viis, & administratâ V. S., omnis opera danda erit, ut propinatis *expectorantibus* materiæ coctio atque excretio promoveatur, non neglectis iis, quæ æstum febrilem unà alterando mitigare valent. Diverso huic scopo Julepi alterantes, syrupi pectorales, eclegmata, aliaque hujus classis medicamenta apprimè inservient. E. g.

℞. Sirup. violar.
de liquirit.
Jujubis ana ℥j.
Aq. hed. terr. ℥vi.
Cerefol.
rubi idei ana ℥iij.
M. add. Spir. Nitri. parùm. F. Julep.
S. Kühlend. Julep.

℞. rad. alth. ʒv.
ireos ʒjß.
liquirit. ʒijß.
herb. tussilagin.
Capillor. Veneris
cerefol. ana Mß.
Flor. malv. cichor.
bellid. rubr. min. ana pj.
Passul. mundat. ℥j.

 Coq.

Coq. in decoct. hord. s. q. ad ℔ij.
Colatur. add. syrup. de jujub.
Prassio ana ℥jß.
M. F. Apozema, de quo capiat æger bis l. ter de die haustum ℥ij.

Nec minus juvabit materiæ rejectionem, sive anacatharsin, tale Eclegma:

℞. Loch sani & experti
de tussilag.
caulibus ana ℥iij.
Syrup liquirit.
de jujubis ana ℥j.
Hispidul. ℥ß.
Specier. pulv. anonym. rec. dispens. ʒjß.
diamarg. fr. ℈j.
diatrag. fr. ʒß.
M. F. l. a. Eclegma.
S. Brust-Latwerg öffters zu gebrauchen.

Internis hisce, aliisque similibus, adjungi quoque poterunt *externa*, Fomenta, Cerata, Emplastra &c. ita tamen, ut ne horum usus nimium continuetur, cùm aliàs pulmo non solùm justò validius exsiccetur, sed etiam facilè fieri queat, ut suppuratio periculosa excitetur, quam tamen, dummodo fieri possit, præcavere multò præstat.

℞. Ungt. pectoral. ℥j.
resumtiv. ʒvj.
Ol. diapalm. ʒj.
amygd. dulc. q. s.
pro Ungt.
M. S. Brust-Salb.

℞. Ol. lil. albor. chamomill.
amygd. dulc. ana ℥j.
Axung. human. gallin.
canis aq. cerefol.
lot. ana ʒj.

Ungt. dialth. q. s.
pro linimento
S. Brust-Oel.

Continuatis sic per aliquot dies *præparantibus* & *bechicis* non dissuaderem sequentem potiunculam.

℞. Flor. cassiæ rec. extract. ʒß. l. ʒvj.
decoct. pectoral. ℥iij.
Colatur. adde
Syrup. rosar. solut.
de cichor. cum rheo ana ℥ij.
F. l. a. potio.
S. purgierendes Brust-Träncklein warm auff einmal zu nehmen.

Hoc modo materia thoracem occupans, blandè subducetur, moxque majori cum successu expectorantium alterantiumque medicaminum usus continuari poterit. Quæ tamen omnia ita accipi velim, ut circumstantiis circa *Ægri naturam & morbum* occurrentibus, quippe quæ in acutis morbis momentô sæpè mutari solent, prudenter accommodentur, juxta solennem medendi regulam, quâ *urgentiori primò esse obviam eundum*, necessariâ cautelâ inculcatur.

Quod ad *Vomitoria* attinet, equidem non ignoro, à multis ea etiam hoc in affectu commendari, legique apud Schenck. *l. 2. obs. 4. p. 249.* solo stibio in pulverem tenuissimū redacto, atq; rhodosaccharo permisto, Gallum Medicum Tridentinum pulmonis, cordis & ventriculi inflammatione laborantem post aliquot vomitus, frustrà aliis adhibitis medicamentis, pristinę sanitati fuisse restitutum: At verò, cùm hæc rariora sint, adeòque hoc præprimis nomine observationum calculum meruerint, nō statìm inde regulam constitui, multò minus quempiam imitari idem debere aut posse arbitror, cùm audaces quidem quandoq; fortuna juvet, sæpius tamen in præsens vitæ discrimen præcipitet, ut adeoque summa hîc circumspectione opus esse vel ἰητρῶν παῖδες intelligant. Sunt insuper, qui in declinationis potissimum statu aut tempore morbi huic proximo *Emeticorum* usum maximè proficuum deprædicent, cùm necessariò materia

putrida tunc exterminanda sit, quippe cujus præsentia virium restaurationem minimè admittit. Si quid ego hîc judicare possum, dicerem, ubi morbus jam ad declinationem devenit, haut videri necessarium, ut violentus id generis motus, quem etiam mitiora emetica facilè concitare possunt, instituatur, tùm quòd naturæ vires, à morbi robore fractæ, id non permittant, sed potiùs quietem & restaurationem desiderent; tùm quòd modô convenientiori, certè minùs periculosô, si quid fortè collectum restiterit, subduci queat.

De nostro *Ægro*, cujus gratiâ hæc præmisi, ut nunc dicam, posse nos labore tali supersedere puto, cùm, ùt supra vidimus, non tàm cacochymia, quàm plethora, malum hoc ovum excluserit, spesque sit, fore, ut jam laudatis remediis cedat.

Quod si interìm alias vias sibi parare medicatricem naturam observare detur, tunc monitum *Hippocrat. Quo natura vergit, eo est ducendum*, minimè negligi; quin potius omnibus modis naturæ conatum adjuvari velim. Non raro enim peccantem materiam in pulmonibus aut thoracis cavitate collectam solere per urinam expurgari, dudum docuit Galen. *l.6. de loc. affect. cap.4.* & confirmat Zacut. Lusitan. *l.2. de medicer. princip. histor. 26. q. 26.* Sic etiam puris mictum cum clysteris vomitu in peripneumoniâ notavit Borellus *C.1. observ. 17.* vias verò innuunt Horst *l.3. observ. 9.* & Rolfinc. *diss. Anatom. p. 9063.*

Si igitur tale quid nostro in *Ægro* contingeret, hunc naturæ conatum non inhiberem, multò minus inverterem, quin potiùs *diureticis*, miram quandam hoc in affectu utilitatem, teste etiam Heurnio *l.3. de morb. pect.* præstantibus, haud cunctanter promoverem; una tamen observarem monitum Clariss. Horstii, qui, *d.l.* non nimis calida, sed temperata id genus medicamenta esse debere docet; exempli loco sequens lubet apponere:

℞. Aqu. cerefol.
Petrosel. ana ℥j.
Tinctur. tartar. gutt. vj.
liquor. diuretic. Schröd. ℈ß.
Syrup de alth. Fernel. ℥ß.
M. S. Harn-treibendes Tränckelein auff einmal.

De *Diaphoreticis* hoc dixisse sufficiet, suum quoque ista quidem elogium mereri, ubi fortè malignitatis indicia observantur, quin & ad tollendas in declinatione morbi reliquias in usum trahi posse: ex quibus, quid *Nostro* polliceantur, & quando profutura sint, non obscurè patet.

Cæterùm, si præter expectationem, jam enumeratis præsidiis morbus haut cesserit, sed jam in abscessum abierit, tunc aliâ incedendum viâ, & convenientibus medicamentis pus maturandum, maturatum educendum, educto pure ulcus abstergendum, mundificandum, ac denique consolidandum erit, quæ nunc sub meliori spe intacta relinquimus.

Tandem ipsa symptomata, licet morbificâ remotâ causâ, ceu remoto corpore umbra, dispareant, cessentque; tamen, cùm sæpè nimis sint molesta & causæ naturam inducentes non parùm urgeant, sui quoque cura ut aliqua geratur, expetunt.

Calori itaque *febrili* intensiori, hincque molestæ admodum *siti*, & vires prosternentibus *vigiliis*, ubi ingruerent, sequenti modo occurrerem.

℞. Syrup. papav. err. ℥jß.
rub. idei.
violar. ana ℥j.
Aq. cerefol.
papav. err.
lactuc. ana q. s.
rosar. ℥ij.
Spir. Nitr. q. s. ad levem acidit.
F. Julep. S. Kühlender Julep vor den Durst zu trincken.

℞. Sem. 4. frig. major. ana ℥j.
papav. alb. ℥ij l. ℥ß.
Aq. hypnotic. Dornereill. ℥jß.
lactuc. heder. terrestr. ana q. s.
F. Emulsio, add.
Aq. rosar. ℥jß.
Spec. diamarg. fr. ℈ß.
diair. simplic. ℈j.

 Magist.

Magist. ocul. 69.gr.xxv. l.ʒß.

edulc.rot. diacod.solid.

August.q.s.ad gratiam.

Aq. astmatic. parùm. M.

S. Kühlende Milch / gegen die Nacht zu gebrauchen.

Virium imbecillitati, per totum morbi decursum probè observandæ, tam *internis*, quàm *externis*, quoad licuerit, succurrerem; Et quidem *interna* quod concernit, jam præscripta passim medicamenta ad hunc direxi scopum, possentque his subinde admisceri *Confect. alkerm. complet. syrup. rub. idei, succ. aurant. dulc. sirup. granator. dulc. aq. perlatæ:* item *Magist. CC. perlar.* ejusdemque generis alia.

Externè verò uterer *epithemate* cordiali: e. g.

℞. Acet. rub. idei ℥ß.

rosac. ℥vj.

Aq. carfuncul. ℥j.

rosar. opt. ℥ij.

M. S. äusserlich stärckendes Hertz- und Pulß-wasser / mit vierfachen Tüchlein warm auff zu legen.

Vel: ℞. Spec. pro Epithem. Cord. temperat. August.

q. s. pro duob. saccul.

confic. ex Syndon. rubr.

S. Puls-Säcklein / in obigem Wasser eingenetzt / warm auff-zu legen.

Quæ omnia tandem hactenus recensita FONS DIÆTETICUS suis irrigare rivulis debet. Tantùm enim abest, ut cum *Paracelso Diætam* ad morborum Curationem parùm conducere putem, ut potius iis, qui legitimam victus rationem observare nolunt, nulla medicamenta præscribi debere cum *Galeno* sentiam. Neque me quicquam movet *Theophrasti* ratio, quod non nisi remediis adversus morbos pugnandum sit, cùm habito respectu, quô remedii nomen, vel in latiori, vel strictiore significatione sumitur, facilè hic nodus solvi queat.

Quod si verò id duntaxat voluit, quod nempè diæta non

tam

tàm à morbo primario, quàm *Virtute & Naturâ* corporis indicetur, adeoque ad indicans *vitale*, non a. *Curatorium* primariò dirigatur, (quamvis vix eò videtur respexisse) benignè qui audiatur, dignum esse, lubens profiteor. Sed ut ad rem redeam, paucis, quæ *Ægro* nostro diæta conveniat, proponam.

Aër itaque sit temperatus, tenuis & purus, non nimis calidus, quia exsiccat, humoresque adurit; nec nimis frigidus: frigida enim pectori inimica, teste *Coo*; si igitur fuerit calidior, refrigerantibus, sed non intensè talibus temperetur, quò de confer. *Sennert. l. 1. prax. part. 1. c. 1. p. 15.*

De *cibo* notandum, quòd, cùm hic morbus ex acutorum numero sit, tenui victu uti conveniat, juxta monitum Hippocr. *s. 1. aphor. 7.* Veteres a. tenuem victum præscribebant primùm ex *melicrato*, posteà ex *cremore ptisanæ hordeaceæ*, usque ad 7. vel 9. diem, ubi *integram ptisanam* aut *ova*, aut *carnis aliquid* exhibere licebat. Et omninò accurati erant Antiqui in præscribendo in acutis morbis victu, uti videre est apud Hippocr. *l. 1. de rat. vict. in acut.* ubi *pleuritidem* exempli locô tractat, & *Galen. in Comment.* Verùm nostri homines tenuissimæ illi victus rationi non sunt assueti, ut verè in his locum habeat *aph. 4. sect. 1.* Quapropter *Ægro* nostro præberi possunt sorbitiones ex cremore ptisanæ, quæ in id generis affectibus præstans est alimentum, uti idem Cous *d. l. tx. 18.* confirmat; poterunt etiam propinari emulsiones amygdalatæ, si alvus haut fuerit obstructa, vel cremori ptisanæ addantur semina 4. frigida &c. cumq; morbus paulisper remiserit, accedere licebit ad usum panatellæ ex jure gallinæ cum ovi vitello paratæ, proderunt etiam juscula carnis gallinac., cum herb. refrigerantibus alterata: Tandemque ad carnes pullorum gallinaceorum, plenioremque victum sensim transeundum est; Caveat sibi *Æger* ab amaris, salsis, acidis, adstringentibus, atque *δυσπέπτοις*, ut sunt anguillæ, cochleæ, fructus horarii &c. aliisque, quæ vim viscidos augendi humores obtinent. De *dulcibus* verò num conveniant, dubitatur: Hippocrat. *2. de morbis* in peripneumoniæ curatione, primis diebus dulces sorbitiones exhibere jubet, ut, quod pulmonibus inhæret, eluatur;

tur;

tur; & aliàs etiam dulcia pectori amica perhibentur. Verùm alii dulcia improbant, utpote, quæ facilè bilescant, sicque inflammationem, febrimque augeant. Nos distinguendum putamus cum *Sennerto* inter dulcia, &, quæ temperata, atque aquosa sunt, minimè nocere, quin & calida convenienter dilui posse, sicque in usum vocari, arbitramur.

Pro *potu* verò commendo decoctum hordei vel simplex, vel, quod melius erit, cum passulis & liquiritiâ, & pauco cinamomo paratum, sin verò appetat cerevisiam, benè defæcata ea sit, oportet, & tenuis, nec acida. Vinum, quod attinet, præstat ab eo abstinere, imò ita, ut fiat ab *Ægro* nostro, prorsus necessarium judico, cùm ejus constitutio, ætas, morbus, &c. idem injungant.

Motus corporis sit decens, seduloque monendus æger, ne præ doloris gravitate, vel anxietate pectoris, hinc inde sese moveat, sed quietus in lecto decumbat, ne calori, humorumque affluxui occasio aut incrementum præbeatur.


Somnus, vigiliæ, utraque *τοῦ μετρίου μᾶλλον γενόμενα κακὸν* Hippocr. *Sect. 2. aph. 3.* Quô de etiam suprà diximus.

Alvus quotidiè respondeat, si naturâ segnior sit, clysterum usu officii sui admoneatur.

Animi παθήματα, ne fiant *μαθήματα*, rationis freno, atq; patientiâ Christianâ moderentur.

Et sic, cum voto Divinæ benedictionis, finio, gratias agens DEO Ter Optimo Maximo, in cujus gloria actionum nostrarum meritò conquiescit

FINIS.



Sic

Sic igitur, *Reysere*, tuos decorare labores
Aggrederis, curis nobilitasque novis?
Ecce! novus tibi surgit honor, nova gaudia Patri
Crescunt, & lauru stat domus ipsa novo!
Adspiret porrò studiis nova gratia Cœli,
Atque tuam in laudem sanus & æger eant!

Hæc in benevoli affectûs signum gratulabundus deproperavit

LAURENTIUS Strauß/
Med. D. & PP.

INfelix morbi non rarò cura latentis
Conspicitur, medicâ frustra levante manu.
Casu, vel culpâ Medici contingat, an artis
Pæoniæ vitio, subdubitare licet.
Fortuitò nil fit, justas persæpè medelam
Viribus ob causas Numina destituunt.
Ars quoque non patitur manes præclara medendi,
Errores Medicus, non Medicina fovet.
Nec præter meritum, sævi libramine docto
Viscera qui morbi non penetrare valet.
Firmatos igitur certâ ratione medendi,
Et doctos Medicos gloria sola manet.

C Abstru-

Abstrusos artis Medicæ superare recessus,
Tentasti studiis hactenus assiduis.
Comprobat eventus tentamina dextra secundus,
Ut Tibi mox pateat summus honoris apex.
Applaudit frater fratri, calidissima vota
Fundit, ut elogii culmina summa feras.

In gratiam exoptatissimi fratris germani gratulabundus sc.

JOH. DANIEL REYSER,
U. J. D.

HÆc studii merces, hæc præmia magna laborum,
Te meritò, Reysere, manent: Tibi militat ipse
Phœbus, & egregio cinget tua tempora lauru:
Cui nostra ex toto gratulatur pectore musa.

Paucis hisce officiosæ mentis suæ affectum contestari voluit

J. SCHILLING, Med. Stud.

FINIS.

